

Clericum conjunctum & laicum, valere; tum quia non simpliciter in laicum, tum quia auctoritate Superioris. Idque luculenter probatur per sequens caput, per tuas litteras, eod. tit. etenim majus dignum trahit ad se minus dignum; c. quod in dubiis, de consec. Ecclor. vel Alt. & c. Abbate, de verb. signific.

Can. XII. Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definitum, ut nulla valeat absque bona fide prescriptio tam canonica, quam civilis; cum sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, que absque mortali observari non potest peccato. Unde oportet, ut qui prescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam aliena, c. quoniam omne, de prescript.

Can. XLII. Sicut volumus, ut jura Clericorum non usurpent laici, ita velle debemus, ne Clerici jura sibi vindicent laicorum. Quocirca universis Clericis interdiximus, ne quis pretextu Ecclesiasticæ libertatis, suam de cetero jurisdictionem extendat in prejudicium iustitiae secularis: sed contentus existat constitutionibus scriptis & consuetudinibus hactenus approbatis; ut que sunt Cesaris, reddantur Cesaris, & que sunt Dei, Deo recta distributione reddantur. Josaphat Rex Juda divino Spiritu ductus utriusque jurisdictionis limites præfixit 2. Paralip. 10. dicens: Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, que ad Deum pertinent, presidebit. Porro Zabadias filius Israhel, qui est Dux in domo Juda, super ea opera erit, que ad Regis officium pertinent.

33. Can. XLVI. Adversus Consules ac Rectores civitatum, & alios qui Ecclesias & viros Ecclesiasticos talis seu collectis, & exactionibus aliis aggravare nuntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium providere, presumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit: transgressores, & factores eorum, excommunicationi præcipit subjacere, donec satisfactionem impendant competentem. Verum si quando forsitan Episcopus & Clerici simul tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesiam duxerint conferenda, præditi laici humiliter & devote recipiant cum actionibus gratiarum: propter imprudentiam tamen quorundam, Romanum prius consulant Pontificem, cujus interesse communibus utilitatibus providere. Quoniam vero nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquevit, adjiciamus, ut constitutiones & sententia: que ab excommunicationis hujusmodi, vel de ipsorum mandato fuerint promulgata, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore validiore. Ceterum quia frons & dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, ut infra tempus regimini sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactionem debitam compellendus. Nam & ipsum qui satisfacere recusaverit, & successorem ipsum, si non satisfecerit intra mensem, manere decernimus Ecclesiasticæ censura conclusum, donec satisfecerit competenter; cum succedat in onere, qui substituitur in honore.

C. adversus Consules, de immunit. Eccl. vide superior Concil. Lateran. sub Alexandro III. can. 19.

Quo canone referitur in exemplum immunitatis prædiorum Sacerdotalium, que fuerat sub Pharaone & Patriarcha Joseph in universo Aegypti regno. Præter istos duorum istorum generalium Lateranensium canones, alitruum rerum Ecclesiasticarum immunitas ac libertas in Concilio Romano III. cui prædixit Papa Symmachus, in quo rescissa fuit Odoacri Regis seu potius Tyranni invaloris & hæretici contra Ecclesiæ libertatem edita. Ne (inquit factum Concilium) in exemplum remaneret presumendi quibuslibet laicis quantumvis religiosis & potentibus in quocumque civitate quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus dispensandi discessu a DEO cura commissa docetur. Citatur vero c. bene quidem, dist. 96. Præterea in canonibus, quos jussu Edmundi Angliæ Regis Odo Cantuarie Episcopus & Ecclesiarum Angliæ Primas compilavit, canon primus ita decernit: Ne alicui liceat censuram imponere super Ecclesiam Dei: quia Filii Dei ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Idemque Odo protest auctoritatem S. Ambrosii, dicentis, Ecclesiam Catholicam libertatem esse ab omni censu Principis, prætereaque S. Gregorii Papæ. Consule apud Gratianum c. convenit, 23. q. 8. in quo selecta videntur Ambrosii loca ex ejusdem epistola ad Marcellinum forem, & ex ejusdem oratione contra Auxentium. His adjunge Pæchalas Papæ secundi Epist. 29. ad Balduinum Jerusalem Regem, in qua sic ait: Nec enim possumus manifeste sanctis Patrum nostrorum constitutionibus obviare: nec omnino volumus aut pro Principum potentia Ecclesiasticam minui dignitatem, aut pro Ecclesiasticâ dignitate Principum potentiam mutuari, ne apud vos occasione alterutra pax, quod abist,

turbetur. Et vero vel ipsi, qui maxime inter infideles sapientia floruerunt, permultum ex re & utilitate Principum esse duxerunt, si facta venerentur & religionem colant. Unius ex multis sufficiat Aristotelis auctoritas accurate de politica prudentia differens lib. 5. Politic. c. 11. Δει τὸν ἀρχὸν τὰ πρὸς τὸν θεὸν οὐκ εἶναι ἀποδέχεται διαπραξίαν. ἵπτον τε γὰρ οὐδέποτε τὸ παρὰ τι παρῶν, ἐὰν δευδαίμωνι νομίζων εἶναι τὸν ἀρχόντα, ἢ ὁρῶν δὲ τὸν θεὸν, ἢ ἐπιβουλευσέν τι τὸν ἀρχόντα, ἢ τὸν θεὸν τὸν θεὸν. Et plane sapientissimus ille Stagiritis, qui acumine ingenii unicum agnoscebat Deum, supremum rerum omnium motorem, primamque ex qua omnia dependent causam, non ignorabat, quantis defectibus religio illa popularis, cui in speciem famulabatur, laboraret; & quanta foret dignitas ejus religionis, que non nisi Deum unum veneretur mundi rectorem: Oportet (inquit) Principem res divinas videtur curare serio & pra omnibus. Nam & minus injussum sperant ab eo Principe pati, quem religiosum deonumque venerentem existimant: & minus ei insidiantur ut tutores & adiutores habenti etiam Deo. Constantinus ille Magnus, qui primus Augustulorum Christio nomen dedit, simulque ejus Ecclesiam privilegii ornavit, istius possessionis pari cum possessionibus domus Augustæ immunitate donavit, per legem que extat in Codice Theodosiano lib. 2. tit. 1. l. 1. que ita sancit: Præter privatas res nobis, & Ecclesias Catholicas, nempe ex nostra iustione præcipuis emolumentis familiaris juretur substantia. Omnes pensitare debebant. Nihil jam hic moror oppositas subsequenti Imperatorum quorundam constitutiones sacrilegas.

Can. XLVII. Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti præmonitione præmissa, presentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monito, promulgare presumat. Quod si quis contra presumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiam per mensem unum sibi noverit interdictum: alia nihilominus pena multandus, si visum fuerit expedire. Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta & rationabili causa procedat, ad quam si forte taliter processerit, & requisitus humiliter processum hujusmodi non curaverit absque gravamine revocare, gravatus apud Superiorem deponat de injus excommunicatione querelam: qui si absque periculo mora remittere potest ad excommunicatorem, illum cum suo mandato remittat intra competentem terminum absolvendum; alioquin ipse per se vel per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta, munus eius abolitionis impendat. Cunque adversus excommunicatorem de injus excommunicatione confiterit, excommunicator condemnatur excommunicato ad interesse: alias nihilominus si culpa qualitas postulaverit, Superioris arbitrio puniendus, cum non levis sit culpa, tantam infligere penam insonit, nisi forsitan errorerit ex causa probabilis, maxime si laudabilis opinio existat. Verum si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit a conquerente probatum, idem & super injus acquisitionis molestia per penam ad interesse, vel alias, secundum Superioris arbitrium condemnatur; nisi forsitan & ipsum probabilis error excuset, & super eo, pro quo iusta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinum reducat sententiam, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observandam. Si vero iudex summ recognoscens errorem paratus sit talem revocare sententiam, & is pro quo lata fuerat, ne absque satisfactione revocet illam, appellat: appellatori non deserat in hac parte, nisi talis sit error, de quo merito possit dubitari: & tunc sufficienti cautione recepta, quod coram eo, ad quem exitit appellatum, vel delegato ab ipso, jure parebit, excommunicatorem absolvat; sicque pena prescripta minime subjacebit: cavens omnino, ne voluntate perversa in alterius prejudicium mentiam errorem, si districtio canonica vult effugere ultionem. c. facto, de sent. excom.

Can. XLVIII. Cum speciali sit prohibicione provisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti communitate præmissa, promulgare presumat: volentes etiam providere, ne forte communitas frustratoria recusationis, vel appellacionis obtentu, momentis declinare possit examen; statimus, quod si allegaverit se iudicem habere suspectum, coram eodem causam iusta suspensionis assignet; & ipse cum adversario, aut si forte adversarium non habeat, cum iudice arbitros communitate eligat; aut si forte communitate convenire non possunt, obligat absque malitia ipse unum, & ille alium, qui de suspensionis causa cognoscant: Et si nequiverint ut unam concordare sententiam, advocent tertium, ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exequendum, ex injuncto a nobis in virtute obedientie sub attestatione divini iudicii districto præcepto teneri. Causa vero suspensionis legitima coram

coram ipsis infra competentem terminum non probata sua jurisdictione iudex utatur: at ipsa probata legitima, de reculatoris assensu persone idonea committat negotium recusat, vel ad Superiorem transmittat, ut in eo ipse procedat, secundum quod fuerit procedendum. Porro communito ad appellacionem convolante, si ejus excessus evidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitimo fuerit manifestatus, cum appellacionis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in presidium innocentie infirmitas; non est provocacioni hujusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne frivola appellacionis effugio appellans iudicis processum impediat, coram eodem probabilem appellacionis causam exponat, talem videlicet, que si foret probata, deberet legitima reputari. Et tunc si habuerit adversarium, intra terminum, secundum locorum distantiam, & temporis qualitatem, & naturam negotii, ab eodem iudice moderandum, appellacionis causam prosequatur: quam si prosequi non curaverit, ex tunc ipse iudex non obstante appellacione procedat; Nullo autem adversario componente, cum ex suo iudex procedat officio, appellacionis causa coram Superiore probata, Superior sue jurisdictionis officium exequatur. Sed si appellans in ejus probatione desecerit, ad eum a quo ipsum malitiose appellasse confiterit, remittatur. Ceterum has duas constitutiones præmissas volumus ad Regulares extendi, qui suas habent observantias speciales.

C. cum speciali, de appellat. Omni canonum hujusce Concilii decursu mirifica elucet Innocentii III. prudentia, & circumspèctio, qui tanta ingenii solertia omnibus rebus Ecclesiasticis prospexit, & improborum artes, & effugia præclufit, ceterisque Ecclesiæ incommotis occurrat.

Can. XLIX. Sub interminatione Divini iudicii penitus interdicimus, ut causa cupiditatis nullus audeat excommunicationis vinculo aliquem innodare, vel absolvere innodatum; in illis maxime regionibus, in quibus ex consuetudine, cum excommunicatis absoluitur, pecuniaria pena multatur: statuentes, ut cum excommunicacionis sententiam injussum fuisse confiterit, excommunicator ad restituendam pecuniam sic extortam per censuram Ecclesiasticam compellatur: & nisi probabilis fuerit errore deceptus, tantumdem injuriam passo perolvat: & si forte solvendo non fuerit, animadversioe alia castigetur.

35. Can. L. Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque variantur humana, presertim, cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit; quoniam & ipse Deus ex iis, que in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo. Cum igitur prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prius, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: cum cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas sacri approbatione Concilii revocantes, presentis constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cetero libere copulentur. Prohibicio quoque copula conjugalitatis quam consanguinitatis & affinitatis gradum non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibicio generaliter observari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus, quod vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir. Quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis. Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalitatis copule sit restricta, eam ita volumus esse perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hac dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis; ut si qui contra prohibitionem hujusmodi presumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum: cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, tantoque graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam.

C. non debet, de consang. & affin. Ad hujus canonis intelligentiam sciendum, res esse longe diversas, secundum & tertium affinitatis genus olim prohibita, sed isto can. permiffa, a secundo & tertio affinitatis gradu isto ipso canone prohibitis, unde versus:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Quod discrimen late explicat Glossa in d. c. non debet. v. in secundo & tertio. Concilium deinde Trident. his alteram addit reductionem, seff. 24. c. 3. de refor. matrim. scilicet impedimenti publice honestatis ad secundum gradum inclusive; & impedimenti affinitatis con- Caballutii, Notitia Ecclesiastica.

urgentis ex fornicatione, ac omni copula illicita, ne primum excedat gradum.

36. Can. LI. Cum inhibicio copula conjugalitatis sit in tribus ultimis gradibus revocata, eam in aliis volumus districte observari. Unde prædecessorum nostrorum inherendo vestigiis, clandestina conjugia penitus inibibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse presumat. Quare specialem quorundam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando statimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per Presbyteros publice proponantur, competentis termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipsi Presbyteri nihilominus investigate, utrum aliquod impedimentum obstat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicitur expresse, donec quid fieri debeat super eo, manifestis consiterit documentis. Si qui vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire presumpserint in gradu prohibito, etiam ignorantur, soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censentur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo, non expertes scientia, vel saltem affectu ignorantie videantur. Pari modo illegitima proles censetur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter interdictum in conspectu Ecclesiæ contrahere presumpserint. Sane Parochialis Sacerdos, qui tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui iis presumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpe qualitas postulaverit. Sed & iis qui taliter copulari presumpserint, etiam in gradu concessio, condigna poenitentia injungatur. Si quis autem ad impediendum legitimum copulam malitiose impedimentum objecerit, Ecclesiasticam non effugiet ultionem.

C. cum inhibicio, de clandestina despons. Canon iste prohibet quidem clandestina connubia, sed non irrita reddit: & quamvis illicita, fuerunt tamen valida & rata, donec Concilium Tridentinum ejusmodi conventiones clandestinas, nimirum in quibus non intervenit duorum triumve testium ad id accitorum & proprii Parochii presentia, decrevit esse irritas, nec nullum ex eis exurgere matrimonium, seff. 14. c. 1.

Can. LII. Licet ex quadam necessitate præter communitatem formam alias fuerit institutum, ut in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret testimonium de auditu, cum propter brevem hominum vitam testes de visu deponere non valerent usque ad gradum septimum computando: quia tamen plurimis exemplis & certis experimentis didicimus, ex hoc multa pericula contra legitima conjugia provenisse; statimus, ne super hoc recipiantur testes de cetero de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat: Nisi persona graves extiterint, quibus fides merito sit addibenda, & ante moram litem testificata didicerint antiquioribus quidem suis, non utique uno, cum non sufficeret ille si viveret, sed duobus ad minus: nec ab infamibus & suspectis, sed a fide dignis & omni exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores. Nec tamen si unus a pluribus, vel infames ab hominibus bone fame acceperint, quod testantur, tamquam plures & idonei testes debent admitti, cum etiam secundum solitum ordinem iudiciorum non sufficiat unus testis assertio, etiamsi prædiali dignitate presulgeat: & actus illegitimi sint infamibus interdicti. Testes autem hujusmodi proprio juramento firmantes, quod ad ferendum in causa ipsa testimonium odio, vel timore, vel amore, vel commodo non procedant, personas expressis nominibus vel demonstratione live circumlocutione sufficienti designent, & ab utroque latere clara computatione gradus singulos distinguant, & in suo nihilominus juramento concludant se accepisse a suis majoribus, quod deponant, & credere ita esse. Sed nec tales sufficiant, nisi jurati deponant se vidisse personas saltem in uno prædictorum graduum constitutas pro consanguineis se habere. Tolerabilis est enim aliquos contra statuta hominum copulatos dimittere, quam consanguinitatis legitime contra statuta Domini separare. c. licet 47. de testib. & attest.

37. Can. LIV. Cum non sit in homine quod semen ferenti respondeat, quoniam iuxta verbum Apostoli neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, ipso quidem de mortificatione semine plurimum fructum afferente, nimis avare in decimis aquidam defraudare nituntur: census & tributa, que interdum in decimata præteruntur, de frugibus & primitiis deducunt. Cum autem in signum universalis domini quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit; nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obvia.